

tates ordine recensibimus & excutiemus, easq; non ad Elementaria tantum ut vocant, sed ad Cœlestia quoque accommodabimus.

Maxima etiam quæcunq; Mundi Contenta Corpora non prope se inuicem reponi aut diutius ibidem subsistere posse, ideoq; non ad Terram in regione dicta Elementari, sed in Aethere vastissimo inter Stellarum spacia per ampla collocari comprobabimus.

Veluti Cometas proximis annis 14. apparentes (ex quibus tres primarios plane sine parallaxi notabiliter certo obseruauimus, cæteros ex aliorum non futilium descriptione sic accepimus) cum alijs Cometis quibusdam omnino Cœlestes proponemus.

Materiam adhæc Metheororum non tantum ex Terreno globo, sed vndicunq; (etiam ex Cœlestibus) deducemus. Et regulariter Aerem ipsum sibi ipsi materiam suppeditare metheoricam: non raro etiam in seipso momentaneas quasi mutationes & metamorphoses subire ostendemus.

In singulorum autem explicatione hunc ordinem sequemur. Primo ponentes Metheoron seu rem ipsam siue effectum nudum, quem communiter experimur, seu ex complurium & fide digniorum relatione & scriptis accepimus. Secundo Exempla colligemus alia quantum licet accommodata in rebus notioribus, obuijs & minoribus. Et demum ex prædictorum iusto examine & collationibus varijs de Natura & Causis cuiuscumq; Metheori ratiocinabimus.

Nonnunquam etiam non solum in effectu sistentes obseruato, insuper quid fieri potuerit, seu factum quandoq; ex dictis appareat, eruemus.

Iam nostrum aggrediemur domicilium, quod intra Aeris superficiem concavam comprehenditur. Utq; in prioribus factum, sic & hoc loco primum de Continentibus & Maioribus eius partibus agemus: demum ad Contentas & Minores partes partiumq; partes & particulas accessuri.

De Continente vero integro hæc proponentur.

I. Figura eius, quod nimirum Terra & Aqua simul sumpta Globum circiter efforment unicum documentis præter vulgaria conuincetur insignibus.

Vbi tamen præter & ultra Montium & Vallium in æquilitatem cuiuis obuiam hæc contemplabimur.

Primum, Terram ab Aquis & Mari liberam altiorem esse Mari & Litoribus,

Etre-